

V
B
J
C
915302—
—915331 III
Mag. St. Dr.



Rm̃o P. D.

DEVAIS

DECANO

Plocen. Canonicatus.

Lunæ prima Martii 1751.

1 ECUTA Anno 1742. in Mense reservato S. Sedi vacatione Canonicatus Fundi Rypin in Ecclesia Cathedrali Plocen. stante obitu Alexandri Mostovvski Præsidis Tribunalis Regni Poloniæ, comparuit in Dataria Apostolica Matthias Kara egressus à Religione Cappuccinorum, & cum narrativa quod Præbenda vacans esset *Fundi Medicinalis*, & ex lege fundationis debita Clerico, seù Presbytero in Medicina Doctori gratiam colla-

lationis à Summo Pontifice reportavit, præsentatisque Literis Apostolicis Ordinario Plocen. institutionem obtinuit; Cum verò in capienda possessione ejusdem Canonicatus oppositorem invenerit Capitulum dictæ Ecclesiæ Cathedralis, hoc interim Joseph Martinus Borziminski impetravit eumdem Canonicatum à Sancta Sede, vel ob falsam expressionem Matthiæ Kara super qualitate Præbendæ debitæ Clerico, seù Presbytero in Medicina Doctori, vel ob incapacitatem ejusdem Matthiæ ad tramites Statutorum Ecclesiæ propter illius egressum ab Ordine Fratrum Sancti Francisci Cappuccinorum.

2 Hujusmodi impetratorias Literas exequtionem promereri censuit R. P. D Simonettus, cui pro executione directæ fuerant, in contumaciam tamen Matthiæ, qui sui mali juris conscius acquievit; sed ad causam veniente Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Plocen., signata fuit Commissio Sac. Nostro Tribunali directa ex integro, & tamquam in prima; Intereà Joseph Impetrator pro majori sui cautela obtinuit Gratiam *perindè valere* porrigendo Summo Pontifici supplicationem in qua narravit Canonicatum debitum esse Doctori in facultate Medica, inutiliter tamen, quia cum intra præstitutum tempus Literas dictæ Gratiæ expedire neglexerit, beneficio Gratiæ gaudere non potuit, quo rei statu perspecto Julius Cęsar Baii consequutus fuit d. Canonicatum à Summo Pontifice sub narrativa illius passivæ affectionis pro Doctore Medico, expeditisque Literis pro executione directis Sacro Nostro Auditorio, in quo pendebat lis cum Capitulo Plocen., disputatum fuit de executione Literarum, quas prius Joseph Martinus obtinuerat nec non posteriorum obtentarum à Julio Cęsare, ideò proposito Dubio = *An & quæ Litteræ Apostolicæ, sint exequendæ*, responsum accepi, *Litteras Apostolicas Josephi esse exequendas*.

3 Ita quippè exigebat illarum verificatio, nam in eo quod pertinet ad idoneitatem Josephi hæc præsumebatur jam justificata in Dataria ex Litteris Apostolicis expeditis in forma gratiosa, ut dixit *Rota in Placentina Beneficii* 27. *Februarii* 1750. §. 2. *coram R. P. D. meo Caprara*, quo verò ad expressionem valoris Canonicatus, ejusque vacationem in Mense reservato, cum in hoc conveniant Litteræ utriusque Partis hoc satis est ad illarum verificationem, ut respondit *Rota in Oxomen. Benefici* 1. *Julii* 1729. §. *Ultra verò coram clar. mem. Card. Calcagnino*, & *in Tricaricen. Cantoratus* 25. *Junii* 1742. §. 4. *coram R. P. D. meo Molino*.

4 Redacta igitur indagine ad verificationem earumdem Litterarum in eo quod respicit impetrationem ejusdem Canonicatus obtentam à Josepho propter falsam expressionem qua-

li-

litatis d. Canonicatus addicti Clerico, seù Presbytero Doctori Medico factam à Matthia Kara, vel ejusdem Matthiæ incapacitatem ob regularem Professionem emissam in Religione Cappuccinorum, & cum hæc alternativè exposita Summo Pontifici satis sit quod alternatim verificentur Litteræ Apostolicæ Josephi etiam in hoc verificatæ omnimodam promeruerunt executionem ad firmata *Decis. 149. num. primo coram Eminentissimo Tanara, & in Ostunen. Cantoratus 15. Junii 1750. §.4. coram R.P D. meo Molino.*

5 Et reverà quidquid sit de falsitate expressionis Matthiæ Kara super qualitate Canonicatus addicti Clerico, seù Presbytero Doctori in Medicina, in quo suffragia non convenerunt; hoc unum est quod firma permansit incapacitas Matthiæ assequendi dictum Canonicatum ob illius Professionem emissam in Religione PP. Cappuccinorum tùm spectata Juris dispositione, tum attenta lege statutorum Ecclesiæ Cathedralis Plocen., idcircò Litteris justificatis, in alterutro ex narratis per alternativam, retardari non poterat executio, ut ait *Rota in Oxomen. Cappellaniæ 29. Aprilis 1748. §. 9. coram R. P. D. meo Vicecomite, & in Hildesimen. Canonicatus 19. Januarii 1750. §. 4. coram R.P.D. meo Caprara.*

6 Incapacitatem Matthiæ propter statum regularem demandant *Text. in cap. cum singula, & cap. cum de benefic. de præbend. in 6.*, ut ait *Rota in Vicen. Beneficii 2. Julii 1742. §. 11. coram R. P. D. meo Bussio*, ulterius Statuta Capitularia Cathedralis Plocensis à Sancta Sede confirmata, ex quibus cum Regulares arceantur ab assecutione Canonicatuum, res plana est Matthiam fuisse incapacem assequendi dictum Canonicatum, non obstante Sententia super nullitate ejusdem professionis superventa quinquennio post emissam Professionem, cujus efficacia exclusa remanet ex eadem omninò servanda lege Statutorum, cujus vigore arcenter etiam ii, qui eorum Professionis nullitatem servatis servandis declarari obtinuerint, ut respondit *Rota in decis. 2. num. 4., & seq. coram Eminentissimo Tanara, & decis. 159. n. 7. coram bon. mem. Ratto.*

7 Constabilita incapacitate Matthiæ propter emissam professionem in Ven. PP. Cappuccinorum Familia, & consequenter verificatis Litteris Josephi in alterutro ex alternativè narratis Summo Pontifici, illarum executioni nullum præberet obstaculum qualitas Canocicatus d. Fundi de Rypin, etiam quatenus verè fuisset affectu Clerico, seù Presbytero in Medicina Doctori, quià cum Matthias tamquam incapax reputari nequeat concurrens, & nemo alius comparuerit in tempore Medicinæ Doctor pro assequendo d. Canonicatu, utique provisioni ejusdem Canonicatus sequtæ favore Josephi, licet non qualificati, omninoda danda

esset

essset executio, cum diutina Beneficiorum vacatio S. Canonibus exosa, non sinat irritandam esse provisionem sequutam favore non qualificati, non comparente qualificato re integra, & intra legitimum tempus, ut monent *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæst.*13. *num.*50., *Gonzalez ad reg.*8. *Cancell. Gloss.*56. *num.*88., *Corrad. in prax. Benefic. lib.*2. *cap.*12. *num.*56., *&* 60., *Rota decis.*1314. *num.*6. *coram Pen.*, *& decis.*904. *num.*8., *&* 9. *coram Lancet.*

8 Quin subsistat qualificatum comparuisse re integra, eo quia ante executionem Gratiæ Josephi supervenit Julius Cæsar, qui uti graduandus in Medicina eumdem Canonicatum obtinuit à S. Sede; etenim cum tempore, quo Jnlius Cęsar supervenit jamdiù à Summo Pontifice signata fuisset Gratia favore Josephi cum expeditione Litterarum, earumque verificatione, & executione demandata in Sententia R.P.D. Simonetti, dici nequit res amplius integra, sed gratia posterior Julii Cæsaris cedere debet anteriori præseferenti Jus quæsitum Josepho, cui Summus Pontifex in posteriori gratia nedum non derogavit, sed professus fuit illud intactum præservare velle mediante Clausula in posteriori gratia inserta = *dummodo tempore datæ præsentium non sit alteri jus quæsitum*, ut notavit *Rot. in decis.*159. *num.*3., *&* 9. *coram Emo Tanara*.

Et ita &c. Utraque &c.

ROMÆ, MDCCLI.
Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicæ.

Superiorum permissu.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0022364